



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

20. De Priori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

## CAP. XVIII.

## De Præposito.

Primo queritur, Quisnam Præpositi vocabulo intelligatur? Respondeo, in iure Canonico nullum quoque titulum extare, De officio Præpositi: eius tamen sit mentio non raro in Responsis Romanorum Pontificum. Sciendum est, in Ecclesijs Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ, Præpositum personatum, ac dignitatem habere: habet pariter alicubi iurisdictionem, & curam animarum eo, quod toti Canonico collegio præsit.

Præpositus Ecclesiasticus Latine dicebatur, olim à Græcis Oeconomus, is nimirum, qui proventus Ecclesiasticos administrabat, & secundum Episcopum plebi præerat. Iustini. in *Novella* 67. §. 2. ubi si Episcopus diutius Ecclesiã deseruerit, vetat Oeconomum quidquam ei prouentibus suppeditare: ac iubet eos potius in pios vsus conuertiri. lib. 1. *Fedorum tit.* 1. §. 1. Abbas, Præpositus, & si antiquitus consuetudo eorum fuerit, secundum dare possunt. *lib. 1. Fedor. tit.* 32. Si quis Præpositus, aut ministeriale aliquas res Ecclesiasticas prouidere debet, ac aliquo inscriptionis titulo cuique concesserit, quod ad damnum alicuius Ecclesiæ pertinet, pro sacrilegio computetur. Saepè autem Abbas, Præpositus, Custos coniunguntur, ut *lib. 2. Fedor. tit.* 54. l. 1. 8. & *lib. 3. tit.* 10. l. 1. Ad præpositum itaque pertinebat reddituum Ecclesiasticorum cura, & administratio.

Præpositi in Romana militia dicebantur, qui sub Tribunis certo militum numero præfecti erant. Suetonius in *uita Orbis: Ausus etiam est in Illyrico militis quosdam, quod motu Camilli ex poenitentia Præpositos suos, quasi defectionis aduersus Claudium auctores, occiderant, capite punire.* Modest. *leg. 3. §. 2. ff. de re militari: Si Præsidis inquit, vel cuiusvis Præpos. ab excubationibus desistat quis, peccatum desertionis subibit. Et §. vltim. Qui Præpositum suum protegere noluerunt, vel deseruerint, occiso eo, capite puniuntur.* Sic etiam *leg. 6. §. vlt. Præpositi dicuntur sub Rubrica C de Susceptorib. & Præpositis qui horreis, pagisque Præfecti erant, lib. 2. eod. tit.* Horreis scilicet, in quo species fisco debite importabantur, pagis autem, vnde exportabantur.

## CAP. XIX.

## De Abbate seculari.

Primo queritur, Quis Beneficiarius Abbatis nomine intelligatur? Respondeo duo esse Abbatum genera. Est enim vnus Abbas regularis, alter secularis, de quo in præsent. Abbas secularis in multis Ecclesijs, quæ Collegiate vocantur, accipitur, qui præsit toto Canonico Collegio, in quibusdam Ecclesijs solet Prior, in alijs Præpositus nuncupari.

Secundo queritur, Quanta sit Abbatis dignitas? Respondeo, in multis Ecclesijs Cathedralibus, post Episcopum, primam esse Abbatis dignitatem. Sunt enim quidam Abbates, qui non solum in clericos, sed etiam in laicos sibi subiectos Pontificiam, seu Episcopalem iurisdictionem habent, & insignia pariter Pontificia gestant: videntur enim annulo, mitra & baculo pastoralis, & horum dignitas est Episcopo proxima.

Alij vero sunt Abbates longe minores, qui nec Pontificiam iurisdictionem habent, nec Episcoporum insignia deferunt: & horum dignitas non sequitur proxime Episcopi dignitatem. Abbatie tenent locum, & gradum medium inter superiores dignitates, cuiusmodi est Episcopus: & alias inferiores, quales sunt Decanatus, Archidiaconatus & similes. *Abbas post Ioan. And. in c. Maioribus de preben. Dec. in c. Decernimus, de iudic. Ioann. Selus de benef. part. 1. quaest. 2. num. 36.*

Id etiam sciendum est, in quibusdam Cathedralibus Ecclesijs inter alios dignitate præditos reperiri aliquos Abbates qui nulli Canonico collegio præfunt: sed

Azor. *Instit. Moral. Pars II.*

solum in choro, in confessu, & comitijs prærogatiuum habent, vt in Toletana Ecclesia Cathedrali. Olim foras erant in Ecclesijs Collegialibus, vel Conuentualibus Monachorum Præfecti: sed quia Canonico Collegio & Ecclesiã deseruerunt, Præfecti Abbates in Cathedralibus Ecclesiã demigrarunt. Ex dictis perspicitur, quando Abbas iurisdictionem habeat, quando secus: An item curam animarum habeat. De ætate vero & literatura, qua debet esse præditus, libro proxime sequenti dicetur.

## CAP. XX.

## De Priori.

Primo queritur, Quis Beneficiarius Prioris nomen habeat? sciendum est, Priorem, vel esse regularem, vel secularem. Prior secularis in quibusdam Ecclesijs, quæ Collegiales dicuntur, pro eo accipitur, qui toti Canonico Collegio præest. Sicut enim iuxta Regulam B. Benedicti, Præfectus Monastici Conuentus, Abbas nominatur, iuxta Regulam S. Augusti, Prior, siue Præpositus: sic in multis Ecclesijs Collegialibus à primarijs viris extructis, fundatis, vel dotatis Præfecti, aliquando Abbates, aliquando Priores vocantur. Prior igitur secularis est dignitate præditus: habet & iurisdictionem ordinariam in clericos, & pariter animarum curam.

Secundo queritur, Quis sit Prior Regularis in iure? Respondeo, Prior Regularis est duplex. Vnus dicitur Conuentualis: de quo in *Clem. 2. de res. & Cle. Ne in agro, §. Ceterum de statu Monach.* Alter dicitur Prior Clausstralis, de quo in *c. Cum ad Monasterium, de stat. Monacho.* Prioratus Conuentualis est dignitas, siue dignitatis nomen sumatur pro officio Conservatoris, aut iudicis delegati Apostolici: siue pro beneficio Ecclesiastico, *capit. nisi essent, de preben. & Clem. 2. de rescript.* Prior autem Conuentualis, vel legitur à Conuentu, siue Collegio, cui præficitur, & confirmatur à Superiore, vel fit, siue creatur per collationem à Superiore Prior Clausstralis non est dignitas: ratio diuersitatis est, quia Prior Conuentualis toti Conuentui, siue Collegio Monachorum præest: at Prior Clausstralis non item, quia non est, nisi in Monasterio cui præsidet Abbas, & ita ipse est sub Abbate, à quo constituitur: vt Clausstri in Monasterio curam habeat iuxta Regulam, & Monasticam disciplinam. Hinc etiam est, vt Prior Conuentualis ab officio amoueri non possit nisi manifesta, & rationabili causa, puta si fuerit dilapidator, vel si incontinenter vixerit, aut tale aliquid egerit, quo metatur priuationem officij, aut si maior necessitas alterius officij ex consilio fratrum id requireret, *cap. Monachi, de statu Monacho.* Prior vero Clausstralis nuda Abbatis remoueri ab officio potest, vt alibi ostendam. Cardinales auctoritate Summi Pontificis, sicut habent aliquas Abbatis regulares in administrationem, & commendationem perpetuam, sic etiam habent aliquos Prioratus Conuentuales.

## CAP. XXI.

## De Plebano.

Primo queritur, Quis sit in iure Canonico Plebanus? Respondeo, aliquorum esse sententiam, Plebanos dici eos, quibus in villis, castris, & oppidis animarum cura committitur, ita vt à Parochis differant, quibus in ipsis vrbibus celebrioribus animarum curatio, & Ecclesiarum administratio demandatur. Verum enim vero Plebanus vocatur is, qui est Præfectus Ecclesiæ, siue plebis, habentis in sua iurisdictione & potestate cappellas, seu minores Ecclesias, quibus Vicarij in perpetuum, vel ad tempus præficiuntur, *ut colligitur ex ca. 1. de capell. Monacho. in sexto, & c. 1. Ne cleri, vel Monach. eod. lib. & Inno. c. dilectus, de capell. Monac.* Proprie vero dicuntur Plebani,

qui